

*meridiana*, quam ducendi methodum coram exponemus.

LIII. Primum ab horologio locum sibi vendicant *Tubi astronomici* et *Telescopia catadioptrica*, quibus armatus oculus observatoris multo subtilius remota, quam inermis cernit: ut autem hisce finibus eo perfectius respondeant, reticulis seu *micrometris* instrui solent.

\* Micrometra in duas classes abeunt. Sunt, quæ folis filis constant in area tubi immotis, aut tenuissimis fulcis vitro incisis; hæc in tuborum focus locata, exiguos obiectorum angulos metiuntur. Secundæ classis micrometra ex duobus vitris obiectivis per medium sectis componuntur, et in ore tuborum prostant, ac propterea obiectiva vocantur.

LIV. Duplici in astronomia modo *Quadrantes* adhibentur, utroque utilissime: aut enim *in planis meridianorum inmote defiguntur*, et observandis siderum culminantium declinationibus, ascensionibus rectis &c. destinantur; vel *pedi cuidam firmo mobili tamen insistent*, et usus sunt longe adhuc amplioris.

\* At vero quam utile ceteroquin hoc instrumenti genus sit, tantis etiam premitur difficultatibus, ut ad perfectionem suam propinque, ne dicam omnino adducatur. Et quidem quod Quadrantem muralem attinet; si exiguos, qui